

Desiderius Erasmus


Querela Pacis Undique gentium eiectae profligataeque

Primum excusa Argentinae anno 1522: Recusa deinde Rostochii ..., Rostochii: Pedanus, 1622

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73040286X>

Druck Freier  Zugang





A-D. 6A

A-E
A-D

510.13.

F.9-36571-3.

Hin

8 R.

2.
Hin









QUERELA
PACIS UNDIQUE
gentium ejectæ pro-
fligatæque.

AUTORE
ERASMO ROTERODAMO.



Primum excusa Argentinae
anno 1522:

Recusa deinde ROSTOCHII per
JOACHIMUM PEDANUM Acad. Typ.
anno 1622.

1623



Lectōri benevolo

S. D.

JOANNES SIMONIUS M.

Rhet. in alma Acad. Rostochiensis P. P.



Pud Aristophanem Poëtam Agricolaë Græciæ, per tæsi tot calamitatum belli luctuosissimi, quod tum gerebatur, Peloponesiaci, introducuntur non solum optare, ut lanceæ ad parietem compositæ telis aranearum obducantur; sed ligonibus quoq; tentare matrem omnium nostrum, ut ex ea reducant exoptatissimam Pacem: quam ad interiora & abdita terrarum commigrasse putarant. Hodie, non quidem ligonibus, sed pijs precibus, consilijsq; providis, si ea modò Bellonæ pulli audirent, Pacem Germaniæ, communi nostræ Patriæ, sopito funestissimo hoc intestino bello, Viri in Reip. luce collocati non pauci, redu-

A 2

Etiam

Etiam apprimè cupiunt & optant.
Nullum autem *anxiè* tum ad sua-
dendam Pacem, tum detestandum
Marrem, vel lectu dulcius, vel argu-
mentis prægnantius ferè est, quàm,
quæ in hoc libello *Querela pacis* con-
tinetur: conscripta à magno illo Eras-
mo Roterodamo; cum suo quoq; tem-
pore bella, horrida bella undiq; in-
gruerent. Quod scriptum cum viro
cuidam Magnifico CL. & Consultissi-
mo, aulæ cujusdam primariæ Consi-
liario intimo, placuisset: nec ejus
exempla in vulgus extarent: magno is
id labore comparatum, ut recudere-
tur, auctor fuit.

Tu, Lector, fruire hoc beneficio:
& sive in arce Phidiæ sedeas, sive la-
teribus Magnatum adhereas, benignè
non minus quàm cordatè hæc perpen-
de, æstima, tibi dictum puta: Illudq;
cogita, ad commune oppidanum ali-
quod incendium sedandum cum ha-
mis & dolabris præsto esse; esse civis
boni, & patriæ amantis viri. B. V. Ro-
stochij Kal. Febr. Anno 1622.

CL4.

CLARISSIMO PRÆ-
SULI

Trajectensi,

PHILIPPO, ERASMUS
ROTTERDAMUS.


CRATULARE R
tibi, Philippe Præsul, non minus vite
ornamenti quam summorum du-
cum imaginibus clarissime, quod tanti mun-
di honore sis auctus: ni comperitum haberem,
quàm invitus susceperis, quàmq; gravatâ
optimi maximiq; principis CAROLI au-
thoritate fueris adactus, cuius aliqui chari-
tati nihil non eras daturus. Atq; hac ipsa res
spem nobis certissimam facit fore, ut cum lau-
de perfungaris suscepto. quandoquidem Plato,
vir exquisitissimi planeq; divini iudicii, non
alios existimat ad republicam gerendam
idoneos, quàm eos, qui huc nolentes pertra-
buntur. Auger autem nostram de te fiduciam

A 3

quorusc

quoties in mentem venit, & cui tu succedas
fratri, & quo patre sitis ambo profecti. Nam
David Vir eruditus juxta ac prudens per-
multis annis sic locum istum tenuit, ut sui
ornamentis, plurimum splendoris ac digni-
tatis addiderit ipsi muneri, per se licet am-
plissimo: multis modis magnus ac suspicien-
dus, sed in hoc præcipuè salutaris reipublicæ,
quod nihil ducebat antiquus sibi, pace publicæ:
hac quoque in parte patrem PHILIPPUM,
Burgundiæ ducem referens: virum nulla
non re maximum: sed tamen pacis artibus
cum primis insignem, & æternæ hominum
memoriæ commendatum. Qui tibi hoc
etiam impensius erit exprimendus, non tan-
tum ut filius patri, sed ut PHILIPPUS
Philippo respondeas. Intelligit jamdudum
tua prudentia, quid abs te populus univer-
sus expectet. Triplex onus habueris sustines,
patris exemplum ac fratris, tam horum
temporum fata, (quid enim aliud dicam:)
nescio quomodo ad bellum pertrahentis. Vi-
dimus ipsi nuper, ut quidam amicis quàm ho-
stibus graviores nihil intentatum reliquerint,
ne bellorum aliquando finis esset: rursus, ut
vix

vix expresserint alij, qui Reipublicæ Princî-
piq; ex animo bene volunt, ut pacem cum
Francis semper optandam, hisce verò tem-
poribus etiam necessariam, amplecteremur.
Cujus sanè rei indignitas movit animum
meum, ut tùm paci undiq; profligatæ queri-
moniam scriberem, quo nimirum hac ra-
tione justissimum animi mei dolorem, vel
ulciscerer, vel lenirem. Libellum ad te,
seu primitivas novo Episcopo debitas, mitto,
quò diligentius tueatur tua celsitudo pacem
utcumq; partam, si non patiar eam oblivisci,
quanto negotio nobis constiterit. Bene
Vale.



QUE-



QUERELA PA-
CIS UNDIQUE GEN-
TIUM EIECTÆ PRO-
fligatæque.

AUTOR

ERASMO ROTERODAMO.



I ME, LICET
immerentem suo,
tamen commodo
sic averfarentur,
eijcerent, profliga-
rentq; mortales:
meam modò injuriam & illorum
iniquitatem deplorarem. nunc,
cum me profligatam protinus,
fontem omnis humanæ felicita-
tis, ipsi à semet arceant, omni-
umq; calamitatum pelagus, sibi
accer-

accerfant; magis illorum mihi
defenda est infelicitas, quam
mea injuria: &, quibus irasci
tantum maluiffem, horum dolere
vicem, hos commiserari com-
pellor, Nam utcunq; amantem
ab fe propellere, inhumanum
eft: benemerentem averfari, in-
gratum: parentem & ferva-
tricem omnium affligere, im-
pium: cæterum tot egregias
commoditates, quas mecum
adfero, fibimetipfis invidere,
proque his ultrò tam tetram ma-
lorum omnium lernam accerfe-
re: an non hoc extremæ cufus-
dam dementiæ videtur? Scelera-
tis irasci par eft: at fic furijs a-
ctos, quid aliud, quam deflere
poffumus? qui non alio fanè no-
mine magis deflendi funt, quàm
quod ipfi fele non deflent; nec
alio magis infelices, quàm quòd

A 5

infelicitatem suam non sentiunt:
quando non nullus gradus est ad
sanitatem, morbi sui magnitudi-
nem agnoscere.

Etenim si ego *Pax* illa, di-
vorum simul & hominum voce,
laudata, fons, parens, altrix,
ampliatrix, tutatrix, rerum bo-
narum omnium, quas vel cælum
habet, vel terra: si sine me nihil
usquam florens, nihil tutum,
nihil purum aut sanctum, nihil
aut jucundum hominibus, aut
gratum superis: si contra hæc
omnia, *Bellum* omnium malo-
rum, quicquid usquam est in
rerum natura, oceanus quidam:
si hujus vitio subito marcescunt
florentia, dilabuntur aucta, la-
bascunt falsa, pereunt benè con-
dita, amarescunt dulcia; deniq;
si res est adeò non sancta, ut
omnis

conf.

omnis pietatis ac religionis sic
maximè præsentanea pestis: si
nihil hoc uno infelicius homini-
bus, nihil invisius superis: quæ-
so per Deum immortalem, quis
credat istos homines esse: quis
credat ullam sanæ mentis micam
inesse, qui me talem, tantis im-
pendijs, tantis studijs, tanto mo-
limine, tot technis, tot curis, tot
periculis, student enjere, tan-
tumq; malorum velint tam charè
emere?

Si me ad istum modum sper-
nerent, *fera*, levius ferrem, &
in me admissam contumeliam,
naturæ imputarem, quæ inge-
nium immitte insevisset: si mutis
pecudibus essem invisâ, condo-
narem inscitæ, propterea, quod
hisea vis animi negata sit, quæ
sola dotes meas queat perspi-
cere

cere. At, ô rem indignam! ac
plusquam prodigiosam! *Unum*
animal edidit natura, *ratione pra-*
ditum, ac divinæ mentis capax,
unum benevolentiae concordiae.
que genuit: & tamen apud quan-
tumlibet efferas feras, apud
quantumvis brutas pecudes,
mihi citius locus sit, quàm apud
homines. †

Jam tot *orbium caelestium*
licet nec motus sit idem, nec vis
eadem; tamen ipsi, tot jam secu-
lis, constant vigentque foedera,
Elementorum pugnantes inter se,
vires, æquabili libramine pacem
æternam tuentur; & in tanta
discordia, consensu, commeri-
toque mutuo concordiam alunt.
In *animantium corporibus* quàm
fidus membrorum inter ipsa con-
sensus? quàm parata defensio
mu-

mutua? Quid tam dissimile quam
corpus & anima? Et tamen quam
arcta necessitudine connexuerit
hæc duo natura, nimirum decla-
rat ipsâ divulsio: proinde, ut
vita nihil aliud est, quam corpo-
ris & anima societas; ita sanitas
omnium corporis qualitatum
concentus est. *Animantia ratio-*
nis expertia, in suo quæq; genere,
civiliter concorditerque degunt.
armentatim vivunt Elephanti:
gregatim pascuntur sues & oves:
turmatim volant Grues, & Gra-
culi: habent sua comitia Cico-
niæ, pietatis etiam magistræ:
mutuis officijs sese tuentur Del-
phini: nota est formicarum &
apum inter ipsas concors politia.
Sed quid de his loqui pergo, quæ
tametsi ratione vacant, sensu
non vacant? In arboribus, in

A 7

ber:

herbis amicitiam possis agnosce-
re. Steriles sunt quædam, nisi
marem adjungas. Vitis ulmum
amplectitur: vitem amat Persica.
Usq; adeò, quæ nihil sentiunt,
tamen sentire beneficium pacis
videntur! Sed hæc rursus ut sen-
tiendi vim non habent, ita quod
vitam habeant, ijs, quæ sentiunt,
finitima sunt. Quid æq; brutum
atq; *saxorum genus*? dicas tamen,
his quoque Pacis & concordie
sensum esse. Ita Magnes ferrum
ad sese trahit, attractum tenet.
Quid? quod inter *immanissimas*
etiam *feras*, convenit? Leonum
inter ipsos feritas non dimicat:
Aper in aprum non vibrat den-
tem fulmineum: Lynce cum
Lynce pax est: Draco non sævit
in draconem: Luporum con-
cordiam etiam proverbio nobi-
lita-

litarunt. Addam. quod magis
etiam mirum videatur, *impj spi-*
ritus; per quos cælitum atq; ho-
minum concordia primum diru-
pta est, & hodie rumpitur; ta-
men inter se fædus habent, suam-
que illam qualemcunque tyran-
nidem consensu tuentur.

Solos *homines*, quos omnium
maximè decebat unanimitas,
quibusq; cum primis opus est ea,
neq; natura, tam alijs in rebus
potens & efficax, conciliat; nec
institutio conjungit; nec tot ex
consensu profecturæ commodi-
tates conglutinant; nec tanto-
rum deniq; malorum sensus, &
experientia in mutuum amorem
redigit. Figura communis o-
mnis; vox eadem: &, cum cœ-
tera animantium genera corpo-
rum formis potissimum inter se
diffe-

differant, uni homini indita vis
rationis, quæ ita sit illis inter i-
psos communis, ut cum nullo sit
reliquorum animantium com-
munis: Uni huic animanti ser-
mo datus, præcipuus necessitu-
dinum conciliator: insita sunt
communiter disciplinarum ac
virtutum semina, ingenium mi-
te, placidamq; & ad mutuam
benevolentiam propensum, ut
per se iuuet amari, & iucundum
sit, de alijs benemereri: nisi quis
pravis cupiditatibus, ceu Circes
pharmacis, corruptus ex homine
degenerarit in beluam. hinc est
videlicet, quod vulgus, quicquid
ad mutuam benevolentiam per-
tinet, humanum appellat. addi-
dit lachrymas, exorabilis inge-
nij documentum: quo, si quid
forte inciderit offensæ, & ami-
ciæ

citiae serenitatem nubecula aliqua offuscârit, facile redeant in gratiam. En quot rationibus natura concordiam docuit?

Nec his tamen contenta pacis lenocinijs, *amicitiam homini* non solum jucundam esse voluit, verum etiam *necessariam*: eoq; *tam corporum tum animorum dotes* ita partita est, ut nemo sit omnium tam instructus, quin infimorum etiam officio nonnunquam adjuvetur. Ne eadem attribuit omnibus, nec paria: ut hæc inæqualitas mutuis amicitijs æquaretur. Alijs in regionibus alia proueniunt: quo vel usus ipse mutua doceret commercia. Cæteris animantibus sua tribuit arma, præsidiaq; , quibus sese tuerentur. Unum hominem produxit inermem atq; imbecillum, nec
pror-

prorsus aliter tutum, quàm fœ-
dera mutuâq; necessitudine. *Ci-
vitates* repperit necessitas, &
ipsarum inter se societatem do-
cuit necessitas: quò ferarum ac
prædonum vim, junctis viribus
21 propellerent. ~~Adeò nihil est in~~
22 ~~rebus humanis, quod ipsum sibi~~
23 ~~sufficiat!~~ In ipsis statim vitæ
primordijs, perisset hominum
genus, nisi conditum propagas-
set *conjugalîs concordia*. nec enim
nasceretur homo; & mox natus
interiret, atq; in ipso vitæ limine
vitam amitteret; nisi obstetricum
amica manus, nisi nutricum a-
mica pietas succurreret infantu-
lo. Atq; in hunc usum vehemen-
tissimos illos pietatis igniculos
insevit, ut parentes etiam illud
ament, quod nondum viderunt.
Adjecit mutuam liberorum erga

pa-

parentes pietatem : ut illorum
imbecillitas horum præsidjs vi-
cissim sublevaretur, fieretq; illa
cunctis quidem ex animo plau-
sibilis, sed Græcis aptissimè di-
cta ἀντιπελάργωσις. Accedunt
hûc cognationum & affinitatum
vincula. Accedit in nonnullis
ingeniorum, studiorum formæq;
similitudo, certissima benevolen-
tiæ conciliatrix; in multis arcaneis
quidam animorum sensus, ac mi-
rus ad mutuam amorem stimu-
lus, quem veteres admirati nu-
mini ascribebant. *

Tot argumentis natura do-
cuit pacem, concordiamq;: tot
illectebris ad eam invitat: tot
laqueis trahit, tot rebus compel-
lit. Et post hæc quænam ista,
tam ad nocendum efficax Eryn-
nys, his omnibus disruptis disje-
ctis,

Etis, discussis, insatiabilem *pu-*
gnandi furiam in sevit humanis pe-
ctoribus? Nisi primum admira-
tionem; deinde sensum etiam
mali adimeret assuetudo; quis
crederet humana mente prædi-
tos istos, qui sic jugibus disidijs,
litibus, bellis inter sese certant,
rixantur, tumultuantur? postre-
mò rapinis, sanguine, cladibus,
ruinis, sacra prophanaq; miscent
omnia: nec ulla tam sancta foe-
dera, quæ illos in mutuam perni-
tiam debacchantes queant diri-
mere? Ut nihil etiam accesserit;
satis erat commune hominis vo-
cabulum, ut inter homines con-
veniret.

Sed esto: nihil apud homi-
nes profecerit natura, quæ plu-
rimum valet, ut in beluis: Itane
& nihil apud Christianos valet
Chri-

Christus? parum efficax sit do-
ctrina naturæ, quæ maximam
vim habet in his quoq; , quæ sen-
su vacant: cæterum, cum hac
multò præstantior sit *doctrina*
Christi, cur ea se profitentibus
non persuadet id, quod unum
omnium maximè suadet, nempe
pacem mutuamq; benevolen-
tiam? aut saltem hanc tam im-
piam efferamq; belligerandi in-
faniam dedocet? *Cum hominis*
vocabulum audio; mox accurro,
velut ad animal mihi propriè na-
tum; confidens, fore, ut illic
liceat acquiescere, cum Christia-
norum audio titulum; magis et-
iam advolo: apud hos certè re-
gnaturam etiam me sperans. Sed
hïc quoq; , pudet ac piget dicere,
Fora, Basilica, curia, templa sic un-
dique liubus perstrepunt, ut
nuf.

nusquam apud Ethnicos æquè.
Adeò, ut cum bona pars huma-
næ calamitatis sit *advocatorum*
turba, tamen hæc etiam, ad liti-
gantium undas, paucitas fit, ac
solitudo. *Civitatem* aspicio: spes
ilicò oboritur, inter hos saltem
convenire, quos eadem cingunt
mænia; eadem moderantur le-
ges, & velut unâ vectos navi
commune continet periculum.
Sed ô me miseram, quæ hîc quo-
que dissidijs omnia vitiata com-
perio! adeò ut vix domum ul-
lam reperire liceat, in qua mihi
sit dies aliquot locus.

Sed plebem omitto, quæ,
maris ritu, suis æstibus rapitur.
In *Principum aulas*, velut in por-
tum quendam, me recipio. Erit,
inquam, certè apud hos locus pa-
ci: plus hi sapiunt, quàm vulgus;

UL

ut qui sint plebis animus atq; o-
culus populi; tum ejus vices ge-
runt, qui doctor est, & princeps
concordiæ, à quo quidem cum
omnibus, tum his præcipue sum
commendata. Et omnia bene
pollicentur. Video blandas con-
salutationes, amicos complexus,
hilares comotationes, cæteraq;
officia humanitatis. At ô rem
indignam! apud hos nec umbram
veræ concordiæ licuit cernere.
Fucata, fictaq; omnia: factio-
nibus apertis, clancularijs dissi-
dijs, ac simulatibus corrupta uni-
versa: deniq; adeò apud hos non
esse sedem paci comperio, ut
hinc potius omnium bellorum
fontes ac seminaria.

Quò me posthac conferam
infelix, posteaquam toties fefel-
lit spes? At Principes magni sunt
po.

potius, quàm eruditi? magisq̃
ducuntur cupiditatibus, quam
recto animi iudicio? *Ad erudito-
rum greges confugiam.* Bonæ
literæ reddunt homines; Philo-
sophia plus quàm homines;
Theologia reddit divos. Apud
hos certè dabitur conquiescere,
tot actæ ambagibus. Verum,
prò dolor! en hîc quoque bel-
lorum aliud genus, minus qui-
dem cruentum, sed tamen non
minus insanum. *Schola cum*
schola dissidet: & ceu rerum
veritas loco commutetur, ita
quædam scita non trañciunt
mare; quædam non superant
alpes; quædam non tranant
Rhenum: imò in eadem Acade-
mia, cum Rhetore bellum est dia-
lectico: cum Jureconsulto dissi-
det Theologus; atq; adeò in
eodem

eodem professionis genere, cum Thomista pugnatur Scotista; cum reali nominalis; cum Peripatetico Platonis: adeò, ut ne in minutissimis quidem rebus inter hos conveniat, ac saepenumero de lana caprina atrocissimè digladiantur; donec disputationis calor, ab argumentis ad convitia, à convitiis ad pugnos incrudescat; & si res pugionibus aut lanceis non agitur, stylis, veneno tinctis, sese confodiunt; dentata charta dilacerant invicem; alter in alterius famam levia linguarum vibrant spicula.

Quò me vertam toties experta mihi data verba? quid superest? nisi una veluti sacra ancora Religio? Hujus professio, licet sit Christianorum omnium communis; tamen eam illi peculiar-

B

culia-

culariter profitentur titulo, cultu, ceremonijs, qui vulgò *sacerdotum* cognomento commendantur. Hos itaq; procul intuenti cuncta spem faciunt, portum mihi paratum esse. Arrident, vestes candidæ, meoq; colore, insignes: video cruces, Pacis symbola: audio dulcissimum illud fratris cognomen, eximia charitatis argumentum: audio salutationes pacis, læto omine, felices: cerno rerum omniam communionem, conjunctum collegium; templum idem; leges easdem; conventus quotidianos. Quis hic non confidat, paci locum fore? Sed ô rem indignam! nusquam ferè collegio convenit cum Episcopo: parum hoc, nisi & ipsi inter sese factionibus scinderentur, Quotus-quis-

quisque Sacerdos est, cui non
sit cum aliquo Sacerdote lis? Pau-
lus rem non ferendam censet,
quod Christianus litiget adver-
sus Christianum: & Sacerdos cum
Sacerdote, Episcopus cum Episcopo
certat?

Verum his quoq; forsitan
ignoscat aliquis, quod longo
jam usu propemodum in propheta-
rum consortium abierunt, po-
steaquam eadem cum illis coepe-
runt possidere. Age, fruantur
hi sane suo jure; quod, ceu præ-
scriptione, sibi vindicant. Unum
hominum genus superest, qui
sic astricti sunt religioni, ut, et-
iam si cupiant; nullo pacto que-
ant excutere, non magis profe-
ctò, quam testudo domum. Spe-
rarem apud hos mihi fore locum:
nisi toties frustrata spes me pror-

B 2 sus

sus desperare docuisset. Et ta-
men, ne quid intentatum relin-
quam, experiar. Quæris exi-
tum? à nullis resilij magis. Nam
quid sperem, ubi *religio cum reli-
gione dissidet?* tot factiones sunt,
quot sunt sodalitia; *Dominica-
les dissident cum Minoritis;* Bene-
dictini cum Bernardinis; tot no-
mina, tot cultus, tot ceremoniæ
studio diversæ, ne quid omninò
conveniret; sua cuiq; placent;
& aliena damnat, oditq; quisq;
Quin *idem sodalitium* factionibus
scinditur. Observantes insectan-
tur Coletas; utriusque tertium ge-
nus, quod à Conventu cogno-
men habet, cum nihil inter illos
conveniat.

Jam, ut par est, omnibus
rebus diffusa, optabam vel in u-
no quopiam *Monasteriolo* latitare,
quod

quod verè tranquillum esset. In
vita dicam; quod utinam non
esset verissimum; nullum adhuc
reperi, quod non intestinis o-
dijs ac iurgijs esset infectum. Pu-
dor sit, recenserè, quàm nihili
de nugis tricisq; quantas cieant
pugnas viri senes, barba pallioq;
verendi; postremò, ut sibi vi-
deantur impensè tum eruditum
sancti! Arridebat spes nonnul-
la, fore, ut alicubi *inter tot conju-*
gia qualiscunq; daretur locus.
Quid enim non pollicetur do-
mus communis, lectus commu-
nis, liberi communes, denique
corporum ipsorum jus mutuum?
ut unum potius hominem cre-
das, è duobus conflatum, quàm
duos? huc quoq; *sceleratissima*
illa Eris irrepsit, totq; vinculis
copulatos dirimit disidijs ani-

B 3

mo-

morum. Et tamen inter hos citius contingat locus, quàm inter eos, qui tot titulis, tot insignibus, tot ceremonijs absolutam charitatem profitentur.

Tandem illud in votis esse cepit, ut saltem *in unius hominis* pectore daretur locus. Ne id quidem contigit, idem homo secum pugnat: Ratio belligeratur cum affectibus, & insuper affectus cum affectu conficitur, dum aliò vocat pietas, aliò trahit cupiditas: rursus aliud suadet libido, aliud ira, aliud ambitio, aliud avaritia.

Et hujusmodi cum sint, non pudet tamen illos appellari Christianos; cum modis omnibus dissideant ab eo, quod Christo præcipuum est; ac peculiare? Universam ejus vitam contemplare; quid

quid aliud est, quàm concordiae
mutuq; amoris doctrina? quid
aliud inculcant ejus præcepta?
quid parabolæ? nisi pacem, nisi
charitatem mutuam? Egregios
ille vates *Esaias*, cùm, coelesti af-
flatus spiritu, Christum illum
rerum omnium conciliatorem
venturum annunciatet, num
Satrapam pollicetur? num ur-
bium eversores? num bellato-
res? num triumphatores? ne-
quaquam. quid igitur? Princi-
pem Pacis: siquidem, cùm o-
mnium optimum principem in-
telligi vellet, ab ea re denotavit,
quam omnium optimam judi-
casset. Neq; mirum ita visum,
Esaiæ; cum quidam Ethnicus
Poëta hunc in modum de me
scripserit:

— Pax optima rerum, quas ho-
mini natura dedit.

Concinit huic mysticus ille Ci-
tharæodus: & factus est, inquit,
in PACE locus ejus. In pace,
dixit; non, in tentorijs, non in ca-
stris. Princeps est pacis: pa-
cem amat: offenditur dissidio.
Rursum *Esaias*, opus Justitiæ pa-
cem appellat; idem sentiens, ni-
fallor, quod sensit *Paulus* ipse;
& ipse è *Saulo turbulento* reddi-
tus tranquillus & pacis doctor;
cum charitatem cæteris omnibus
arcani spiritus dotibus antepo-
nens; quo pectore, quâ facun-
diâ meum Encomium detonuit
Corinthijs? Cur enim non glo-
rier, sic laudari, à viro tam lau-
dato? Is aliàs *DEUM pacis* ap-
pellat; aliàs *pacem DE* vocat:
palàm indicans, hæc duo sic in-
ter

ter sese cohærere, ut ibi pax esse
non possit, ubi ~~DEUS~~ non ad-
sit: nec illic esse ~~DEUS~~ possit, u-
bi pax non adsit. Item & *pacis*
angelos in divinis libris vocatos
legimus, Pios ac ~~DEI~~ ministros;
ut per se liqueat, quos *belli ange-*
los oporteat accipi.

Audite strenui bellatores! Vi-
dete! sub cuius signis militetis?
nimirum illius, qui primus dissi-
dium sœvit inter ~~DEUM~~ & ho-
minem. Quicquid calamita-
tum sensit mortalitas, huic dissi-
dio debet acceptum ferri. Fri-
volum est enim, quod argutan-
tur quidam: in arcanis literis,
~~DEUM~~ exercituum & ~~DEUM~~
ultionum dici. Permultum enim
interest inter Judæorum ~~DEUM~~,
& Christianorum ~~DEUM~~: et-
iam si suapte natura unus & idem

B 5

DEUS

DEUS est. At, si nobis quoque
placent tituli veteres; age, sit
Exercituum DEUS; modò acies
intelligas virtutum concentum,
quarum præsidio vitia demoli-
untur homines pñj. Sit *ultionum*
DEUS; modò vindictam acci-
pias, vitiorum correctionem; ut
cruentas strages, quibus Hebræ-
orum libri referti sunt, non ad
laniandos homines, sed impios
affectus è pectore profligandos
referas.

Sed ut, quòd institutum e-
rat, persequamur: quoties *absol-
utam felicitatem* significant ar-
canæ literæ, pacis nomine id fa-
ciunt. Velut *Esaias*, sedebit, in-
quit, populus meus in pulchritu-
dine pacis. Et alius, Pax, in-
quit, super Israel. Rursus *Esaias*
admiratur pedes annunciantium
pacem,

pacem, annunciantium bona:
Quisquis Christum annunciat,
pacem annunciat: quisquis bel-
lum prædicat, illum prædicat,
qui Christi dissimilimus est.

Age jam, *quæ res DEI filium*
pellexit in terras? nisi, ut mun-
dum Patri reconciliaret, ut ho-
mines inter se mutua, & indisso-
lubili charitate conglutinaret:
postremò, ut ipsum hominem
sibi faceret amicum? Meâ igitur
gratia legatus erat: meum
agebat negotium. Atque ob id
Salomonem sui typum ferre voluit:
qui nobis *εἰρηνοποιός*, id est, paci-
ficus dicitur. Quantumvis ma-
gnus erat *David*: tamen quia bel-
lator erat, quia sanguine fuerat
impiatus, non sinitur extruere
domum Domini: non meretur
hac parte, gerere typum Christi
in maculatis et pollutis, paci-

pacifici. Jam illud interim per-
pende bellator: si prophanant
bella, numinis jussu suscepta ge-
staq;: quid facient, quæ suasit
ambitio? quæ ira? quæ furor?
Si piæ regem polluit effusus
sanguis Ethnicorum; quid fa-
ciet tam ingens effusio sanguinis
Christiani?

Obsecro te: *Christiane Prin-*
ceps, si modò verè Christianus
es; *contemplantur tui Principis ima-*
ginem! observa quomodo re-
gnum suum inierit! quomodo
progressus sit! quomodo hinc
decesserit! & mox intelliges,
quomodo abs te geri velit: nimi-
rum, ut summa curarum tuarum
pax sit & concordia. *Nato jam*
Christo, num bellicis tubis inso-
nant angeli? clangorem tuba-
rum audire Judæi, quibus bel-
lare

lare permissum est : hæc con-
gruebant auspicia, quibus fas e-
rat, odisse inimicos. At genti
pacificæ longè aliam ~~concionem,~~
canunt pacis angeli. num classicum
canunt? num victorias, trium-
phos, trophæaq; pollicentur?
minimè. quid tandem? *Pacem,*
annunciant, congruentes cum
prophetarum oraculis: & an-
nunciant, non ñs, qui cædes spi-
rant ac bella; qui feroces ad arma
gestiunt: sed, qui bona volun-
tate propensi sunt ad concor-
diam.

Prætexant, quæ velint suo
morbo mortales: nî bellum a-
marent, non sic jugibus bellis in-
ter se conflictarentur. *Age, Chri-*
stus ipse jam adultus, quid aliud
docuit, quid aliud expressit, quam
pacem? Pacis omine suos subin-

B 7

de

de salutari, PAX VOBIS:
eamque salutandi formam suis
præscripsit, veluti unicè dignam
Christianis. Atque hujus præce-
pti non immemores Apostoli,
pacem præfantur in suis Episto-
lis: pacem optant ipsi, quos uni-
cè diligunt. Rem præclaram
optat, qui salutem optat: sed fe-
licitatis summam precatur, quis-
quis pacem precatur. Hanc ille,
toties in omni vita commenda-
tam, vide, quanta sollicitudine
commendet moriturus? Diliga-
tis, inquit, invicem, sicut dilexi
vos. ac rursus: *Pacem meam
do vobis; Pacem relinquo vobis.*
Auditis, quid relinquat suis? num
equos? num satellitium? num
imperium? num opes? nihil ho-
rum. quid igitur? pacem dat: pa-
cem relinquit: pacem cum amicis,
pacem cum inimicis. Jam

Jam illud mihi consideres ve-
lim, quid à cæna mystica, jam im-
minente mortis tempore, supre-
mis illis precibus flagitarit à Pa-
tre? *Rem*, opinor, *haud vulgarem*
poposcit; qui se sciebat impetra-
turum quicquid peteret. Pa-
ter, inquit *sancte*, *serva eos in no-*
mine tuo, ut sint unum, sicut &
nos! Vide, quæso, quàm insi-
gnem concordiam exigat in suis
Christus? non dixit, ut sint una-
nimes; sed, ut sint unum; neq;
id quocunque modo; sed sicuti
nos, inquit, unum sumus: qui
perfectissima & ineffabili ratio-
nesumus idem; & illud obiter
indicans, hâc unâ viâ servandos
esse mortales, si mutuam inter
se pacem aluerint.

Porro, quod hujus mundi
Principes, insigni quoque suos
no:

notant, quo possint à cæteris dignosci, præsertim in bello: *vide, quâ tandem notâ Christus insignierit suos?* non aliâ vi delictet, quàm mutux charitatis: hoc, inquit, argumento cognoscent homines vos esse meos discipulos: non, si sic, aut sic vestiamini; non si his, aut his vescamini cibis: non si tantum jejunetis: non si tantum psalmorum exhausseritis: sed si dilexeritis invicem: neq; id sanè vulgari modo, sed quemadmodum ego dilexi vos. Innumera sunt Philosophorum præcepta: varia sunt Moyfi; plurima regum edicta: unicum est, inquit, præceptum meum, ut ametis invicem. Itidem *orandi formam* suis *prescribens*, nonnè in ipso statim initio, mitè admonet concordix Christianæ? *Pater*, inquit,

quit, *noster*. unius est precatio:
una communis omnium est po-
stulatio; una domus, eademque
familia sunt omnes: ab uno pa-
tre pendent omnes: & qui con-
venit, eos jugibus bellis inter se-
se confictari? quo ore compel-
las communem patrem, si in fra-
tris tui viscera ferrum stringis?

Jam, quoniam unum hoc vo-
luit altissimè insidere suorum a-
nimis; quot *symbolis*, quot para-
bolis, quot *præceptis concordia*
studium inculcavit? se pastorem
vocat; suos, oves. &, obsecro,
~~quis unquam vidit oves pugnan-~~
~~tes cum ovibus?~~ aut quid fa-
ciunt lupi, si grex ipse semet in-
vicem lacerat? cùm se *vitis stir-*
pem vocat, suos verò palmites;
quid aliud quàm expressit una-
nimitatem? Porrentum videatur,
pia-

piaculis procurandum, si in ea-
dem vite palmes cum palmitibus
beller: & ostentum non est, si
Christianus pugnet cum Chri-
stiano?

Postremò, si quid omninò
Christianis sacrosanctum est; cer-
tè *sacrosanctum esse debet*, ac pe-
nitus animis illorum insidere,
*quæ Christus extremis illis manda-
tis tradidit*, veluti testamentum
condens, ac filijs ea commen-
dans, quæ cuperet illis nunquam
venire in oblivionem: aut, quid
aliud in his docet, mandat, præ-
cipit, orat, nisi mutuum inter
iplos amorem? quid *illa sacro-
sancti panis & calicis pharisej com-
muniõ*, nisi *novam* quandam
& *indissolubilem concordiam*
lanxit?

Cœterum, quando sciebat,
non

non posse constare pacem, ubi
de magistratu, de gloria, de o-
pibus, de vindicta certamen est:
tūc penitus affectus ejusmodi re-
vellit ex animis suorum: vetat,
in totum, ne malo resistant: ju-
bet, ut & de malè merentibus,
benè mereantur, si possint; benè
precentur malè precantibus. Et
Christiani sibi videntur, qui ob
quantumvis levem injuriolam
magnam orbis partem in bellum
pertrahunt? *Precipit*, ut qui in
suo populo sit princeps, is mini-
strum agat; nec alia re præcellat
alijs, nisi quod melior sit, & plu-
ribus proficit: & non pudet quos-
dam, ob pusillam accessiuncu-
lam, regni pomœrijs addendam,
tantos ciere tumultus? *docet*, a-
vium & liliorum ritu in diem vi-
vite: vetat, sollicitudinem in-
po-

posterum diem extendere: vult
rotas è caelo pendere: divites om-
nes excludit à regno caelorum;
& non verentur quidam, ob pe-
cuniolam non exolutam, forras-
se nec debitam, tantum humani
sanguinis effundere?

Atq; *his temporibus haec vel ju-
stissima suscipiendi belli causa vi-
dentur?* Profectò haud aliud
Christus agit, jubens ut unum
quiddam à se discant, miti esse
animo, minimeq; feroci, cum
jubet relinqui donarium ad a-
ram, nec prius offerri, quàm
cum fratre reditum sit in gratiam.
Nonne *palàm docet rebus omnibus
anteponendam esse concordiam,*
nec ullam victimam esse D E O
gratam, nisi commendante me?
Respuebat DEUS Judaicum mu-
nus, fortassis hœdum aut ovem,
quod

quod à dissidentibus offerretur ;
& Christiani sic inter sese belli-
gerantes , sacrosanctam illam vi-
ctimam offerre audent? Jam, cum
se gallinæ pullos sub alas aggreg-
ganti facit adsimilem ; quam
apto symbolo depinxit concor-
diam? *Ille congregator est ; & qui
conuenit, Christianos esse milvius?*
Eodem pertinet, quod lapis di-
ctus est angularis, utrumq; pa-
rietem committens & continens;
& qui conuenit, ut hujus vicarij
totum orbem ad arma commo-
veant, regnaq; regnis commit-
tant? Summum illum concilia-
torem habent Principem, ut ja-
ctant ; & nullis rationibus ipsi si-
bi possunt reconciliari? conci-
liavit ille Pilatum & Herodem ;
& suos in concordiam redigere
non potest? Petrum adhuc semi-
ju:

judæum, qui in præsentis capi-
tis discrimine dominum, ac præ-
ceptorem tueri parabat, objur-
gat ipse qui defendebatur, gla-
diumque jubet recondere; &
Christianis ob levissimas causas
nunquam non expromptus di-
strictusque est gladius, idque in
Christianos? An ille se gladij
præsidio defensum velit, qui mo-
riens deprecatur pro necis au-
ctoribus?

Omnes Christianorum litera,
sive vetus legas testamentum,
sive novum, nihil aliud quam
pacem & unanimitatem crepant:
& omnis Christianorum vita
nihil aliud quam bella tractat?
quænam est hæc plusquam feri-
na feritas, quæ tot rebus nec
vinci potest, nec leniri? *Quin-*
potius aut Christianorum titulo
glo.

gloriari desinant, aut Christi doctrinam exprimant concordiam. Quousque vita pugnabit cum nomine? Insignitæ quantumlibet ædes vestesque crucis imagine; non agnosceret Christus symbolum, nisi quod ipse præscripsit, videlicet, concordie. ~~Congregati vident euntem in cælum, congregati iubentur opperiri spiritum caelestem:~~ & inter congregatos se semper versaturum promiserat; ne quis speraret usquam in bellis adesse Christum. *

Jam igneus ille Spiritus, quid aliud est quàm Charitas? Nihil igne communius: citra dispendium ullum, ignis igni accenditur. Vis autem cognoscere, spiritum illum concordie parentem esse? exitum vide. erat, inquit, cunctis cor unum, & anima

ma una. Tolle spiritum è corpore, continuo delabitur omnis illa membrorum compages: tolle pacem, & perit omnis Christianæ vitæ secretas. Tot hodie *Sacramentis* infundi coelestem spiritum affirmant Theologi: si verum prædicant; ubi peculiaris spiritus illius effectus, cor unum & anima una? si fabulæ sine, cur tantum honoris hisce rebus defertur? Atque hæc sanè dixerim, quò magis Christianos suorum morum pudeat, non quò sacramentis aliquid detraham.

Nam quod populum Christianum *Ecclesiam* vocari placuit, quid aliud quàm unanimi-
tatis admonet? qui convenit castris & ecclesiæ? hæc aggregationem sonat, illa dissidium. *Si pars Ecclesiæ gloriaris esse, quid tibi cum bellis?*

bellis? Si ab Ecclesia semotus es,
quid tibi cum Christo? Si eadem
omnes habet domus; si commu-
nem habetis principem; si eidem
militatis omnes: si sacramentis
iisdem estis initiati; si iisdem
gauderis ~~in~~ donativis; si iis-
dem alimini stipendijs; si com-
mune petitur præmium; quid ita
inter vos tumultuamini? Vide-
mus inter impios istos commili-
tones, qui mercede ad cædis per-
agendæ ministerium conducti
veniunt, tantam esse concor-
diam, non ob aliud, nisi quod
sub iisdem militant signis; & pie-
tatem profitentes tot res non
conglutinant? Itane nihil agitur
tot Sacramentis?

Baptismus communis omnium,
per hunc Christo renascimur, &
ejecti mundo, Christi membris
inferimur. Quid autem tam idem
esse

C

esse

esse potest, quàm ejusdem corporis membra? ab hoc igitur neque servus est quisquam, neque liber, neq; Barbarus, neq; Græcus, neq; vir, neq; fœmina; sed omnes idem in Christo sunt, qui omnia redigit in concordiam. Scythas ita jungit, paululum sanguinis utrinq; gustati è calice, ut pro amico nihil contentur & mortem appetere; Ethnicis etiam sancta est amicitia, quam mensa communis conciliavit; & Christianos, *caelestis ille panis, ac mysticus ille calix non continet in amicitia?* quam ipse sanxit Christus, quam illi quotidie renovant, ac representant sacrificijs. Si nihil illic egit Christus, quorsum opus hodiè tot ceremonijs? si rem seriâ egit, cur sic à vobis negligitur, quasi rem ludicram ac sce-

ni

nicam egerit? Audet quisquam
ad sacram illam mensam amici-
tiæ symbolum, audet ad pacis
convivium accedere, qui bellum
destinat in Christianos? & eos
parat perdere, pro quibus ser-
vandis mortuus est Christus? eo-
rum haurire sanguinem, pro qui-
bus suum sanguinem fudit Chri-
stus?

O pectora plusquam ada-
mantina! *in rebus tam multis con-
sortium est: & in vita tam inexpli-
cabile dissidium!* eadem nascendi
lex omnibus, eadem senescendi
moriendiq; necessitas: eundem
generis principem habent o-
mnes: eundem religionis aucto-
rem: eodem omnes redempti
sanguine: ñsdem omnes initiati
sacris, ñsdem aluntur sacramen-
tis: quicquid ex his redit mune-

neris, ab eodem proficiscitur
fonte, & ex æquo commune,
est omnibus: eadem omnium
Ecclesia: deniq; præmium idem
omnium: quin celestis illa Hie-
rusalem, ad quam suspirant verè
Christiani, à pacis visione no-
men habet, cujus interim Eccle-
sia typum sustinet: & quî fit, ut
hæc tantopere discrepet ab exē-
plari? adeò nihil promovit tot
vîs solers natura? nihil ipse Chri-
stus perfecit tot præceptis? tot
mysteriis? tot symbolis?

Vel ipsa mala conciliant &
malos, juxta proverbium: Chri-
stianos inter se nec bona, nec ma-
la ulla conciliant. quid humanâ
vitâ fragilius? quid brevius? quot
ea morbis, quot casibus obno-
xia? & tamen, cum plus habeat
ex sese malorum, quàm ut ferri
possit;

possit; tamen maximam malo-
rum partem ipsi sibi accersunt,
dementes. Tanta cæcitas huma-
nos animos occupat, ut nihil ho-
rum perspiciant! Sic præcipientes a-
guntur, ut omnia naturæ Chri-
stiquè vincula, omnia foedera
rumpant, dissecent, diffringant!
Pugnant passim atq; assiduè; nec
modus, nec finis. *Colliditur gens
cum gente, civitas cum civitate,
factio cum factione, princeps
cum principe: & ob duorum ho-
muncionum, qui mox, velut E-
phemera, sunt interituri, seu stul-
titiæ, seu ambitionem, res huma-
na rursus ac deorsum miscetur.*

Missas faciam veterum bel-
lorum tragoedias. repetamus de-
cem abhinc annis acta, ubi non-
gentium crudelissimè pugnatum
est terrâ, mariq;? quæ regio

Christiano sanguine non com-
maduit? quod flumen, quod ma-
re non humano cruore unctum
est? & , ô pudor! pugnant imma-
nius quàm *Judei*, quàm *Ethnici*,
quàm *fera*. Quicquid bellorum
Judeis gestum est adversus Al-
lophylos, id Christianis geren-
dum adversus vitia: quibus cum
vitijs nunc convenit, cum homi-
nibus bellum est. Et tamen Ju-
dæos divina jussio ducebat ad
pugnam: Christianos, si, præ-
textibus detractis, rem verè ælli-
mes, transversos rapit ambitio;
27 agit ira, pessimus consultor;
pertrahit habendi nunquam sa-
tiata cupiditas. Atque his ferè
cum exteris res erat: *Christianis*
cum Turcis fœdus est; inter ipsos
bellum.

Jam *Ethnicos* Tyrannos ferè
glo.

gloriæ sitis ad bellum extimula-
bat: atq; hi tamen sic Barbaras
atq; efferas nationes subigebant;
ut vinci expediret, & victor de
victis benemereri studeret: da-
bant operam, ut, quàm fieri pos-
set, incruenta esset victoria: quò
simul & victori honesta fama
præmium esset, & victis sola-
tium, victoris benignitas. *Ac
pudet meminisse, quàm pudendis,
quàm frivolis de causis, Christiani
principes orbem ad arma concitent.
titulum, aut reperit, aut com-
mentus est. quasi verò ita ma-
gnum referat, quis regnum ad-
ministraret; modò publicis com-
modis rectè consulatur? ille cau-
satur omissum, nescio quid, in
fœdere centum capitum. hic illi
privatim infensus est, ob sponsam
interceptam, aut scomma liberius*

dictum : & , quod est omnium
sceleratissimum ; sunt , qui tyran-
nica arte ; quod populi concor-
diâ potestatem suam labefactari
sentiant , dissidio stabiliri ; sub-
ornent , qui data opera bellum exci-
tent ; quô simul & conjunctos
dirimant , & infelicem populum
licentius expilent , scelestissimi
quidam , qui populi malis alun-
tur & quibus pacis tempore non
multum est , quod agant in re-
pub. Quæ tartarea furia vene-
num hoc in pectus Christianum
potuit immittere ? quis hanc ty-
rannidem docuit Chriticos ,
quam nec *Dionysius* ullus , nec
Mezentius ullus novit ? Belluæ
verius quàm homines ; & solâ
Tyrannide nobiles , nec usquam
cordati , nisi ad nocendum , nec
unquàm concordés , nisi ad op-
pri-

primendam Rempublicam. Et hæc qui gerunt, pro Christianis habentur? audent, humano sanguine undiq; polluti, ad sacras ædes, ad sacras aras accedere? O pestes in extremas Insulas deportandas! Si Christiani corporis unius membra sunt, cur non gratulatur quisq; alienæ felicitati?

Nunc propè *justa movendi belli causa videtur, regnum finitimum, rebus omnibus paullò florentius.* Etenim, si verum fateri volumus, quid aliud commovit, & hodie commovet tam multos ad armis laceffendum Franciæ regnum, nisi quod est unum omnium florentissimum? Nullum latius patet; nusquam senatus augustior; nusquam Academia celebrior; nusquam concordia

C 5 ma

major, & ob hoc ipsum potestas
summa: nusquam æquè florent
leges; nusquam illibatio religio;
nec Judæorum commercio cor-
rupta, velut apud Italos, nec
Turcarum aut Maranorum vici-
nia infecta, quemadmodum a-
pud Hispanos & Hungaros.
Sola Francia, ceu hos illibatus
Christianæ ditionis & velut arx
quædam tutissima, si qua fors
tempestas, ingruat, tot modis
impetitur, tot artibus incessitur,
nec ob aliud nisi cujus gratia
conveniebat gratulari, si qua ve-
na Christianæ mentis esset in i-
stis. Atq; his tam impijs factis
prætexitur titulus pius: sic ster-
nunt viam ad propagandum im-
perium Christi! O rem mon-
strosam! parum consultum pu-
tant Reipub. Christianæ, nisi pul-
cher,

cherrimam, ac felicissimam di-
tionis Christianæ partem subver-
terint.

Quid quod *in his tractandis*
feras etiam ipsas feritate precedunt?
Non omnes pugnant beluæ: nec
ferarum, nisi in diversum genus,
conflictatio est: quemadmodum
& ante diximus: sæpius incul-
candum, quò magis inhereat a-
nimis. Vipera non mordet vi-
peram: nec Lynx Lyncem di-
scerpit. ac rursus illæ cum pu-
gnant armis, illas armavit natu-
ra; homines inermes natos, Ô
DEUM immortalem! qualibus
armis armatira? Tartareis ma-
chinis impetunt Christiani Chri-
stianos: quis enim credat, Bom-
bardas hominis inventum esse?
Nec illæ tam densis agminibus in-
mutuum exitium ruunt, quis un-
quam

quam vidit decem leones cum
decem tauris congregari? at quo-
ties viginti millia Christianorum,
cum totidem Christianis ferro
decertant? Tanti est lædere!
tanti est haurire sanguinem fra-
trum! Nec illis ferè bellum est,
nisi cum fames aut cura sobolis
in rabiem agit. At Christianis
quæ tam levis injuria est, ut non
videatur idonea bellandi occa-
sio? si faceret ista plebes; ut-
cunq; prætexi poterat inscitia;
si juvenes; excusari poterat æta-
tis imperitia: si prophani; non-
nihil elevaret atrocitatem facti,
personæ qualitas. Nunc ab ijs
potissimum videmus oriri bello-
rum semina, quorum consilio
moderationeque populi motus
componi conveniebat.

Contemptum illud & igno-
bile

bile vulgus, condit egregias ur-
bes, conditas civiliter admini-
strat, adminittrando locupletat.
In has irrepunt Sarrapæ, & ceu
fuci, quod alienâ partum est in-
dustria, surripiunt, & quod à plu-
rimis benè congestum est, à pau-
cis malè dissipatur, quod rectè
conditum, crudelissimè diruitur.
Quod si prisca non meminerunt;
reperat, qui volet, secum hisce
duodecim annis gesta bella; cau-
sas expendat; comperiet omnia
principum gratia suscepta, ma-
gno populi malo gesta, cum ne-
tantillum quidem ad populum
attinerent.

Jam quod olim *foedum habe-*
batur apud Ethnicos, caniciem ga-
lea premere, ut inquit ille; id apud
Christianos laudi ducitur. Tur-
pe senex miles Nasoni; & istis

magnifica res est bellator septua-
genarius. Imò ne sacerdotes qui-
dem ipsos pudet, quos olim DEUS
nec in sanguinaria illa & incle-
menti lege Moyfi voluit ullo san-
guine pollui: non pudet Theo-
logos, Christianæ vitæ magi-
stros: non pudet absolutæ reli-
gionis professores: non pudet
Episcopos: non pudet Cardina-
les & Christi vicarios ejus rei au-
tores, ac faces esse, quam Chri-
stus tantopere detestatus est.

Quî verò convenit mitræ &
galeæ? quid pedo cum gladio? quid
Evangelico Codici cum clypeo?
quî convenit, pacis omine salu-
tare populum, & orbem ad tur-
bulentissimas pugnas concitare?
pacem dare lingua, rebellum
immittere? Tunè eodem ore,
quo Christum pacificum prædi-
cas,

cas, bellum laudas, eademq³ tuba
DEUM canis & Sathanam? Tunè
apud concionem sacram, cucul-
lâ tectus, ad cædem ineitas sim-
plicem populum, qui ex ore tuo
doctrinam expectabat Evange-
licam? Tunè Apostolorum oc-
cupans locum, pugnancia doces
cum Apostolorum præceptis?
An non vereris, ne, quod de
Christi præconibus dictum est,
quàm speciosi pedes nuncian-
tium pacem, nunciantium bona,
nuciantium salutem, in diversum
vertatur: quàm foeda lingua sa-
cerdotum, adhortantium ad bel-
lum, incitantium ad mala, pro-
vocantium ad perniciem?

Apud Romanos, adhuc im-
piè pios, qui pontificatum maxi-
mum iniret, ex more confirma-
bat jurejurando, se manus ab
omni

omni sanguine puras servaturam, a deo, ut ne læsus quidē ulcisceretur. atque hujus sacramenti fidem constanter præstitit *Titus Vespasianus*, Imperator Ethnicus; idq; laudi datur à scriptore Ethnico. At, & prorsus sublatam è rebus humanis frontem! *apud Christianos* DEO dicati sacerdotes, & qui his quoq; sanctius aliquid præ se ferunt, *Monachi*, *ad cedes*, *ad strages*, *inflammant*; & *Evangelij tubam*, *Martis tubam* faciunt; obliti dignitatis suæ sursum ac deorsum cursitant; nihil non tum faciunt, tum patiuntur, dum bellum excitent, & per hos Principes, alioqui fortassis quieturi, ad pugnam inflammantur; quorum auctoritate tumultuantes sedari conveniebat?

Imò, quod prodigiosius,
belli-

belligerantur ipsi, idq; earum re-
rum gratia, quas & apud impios
contemfere Philotophi, quarum-
que contemptus proprius ac pe-
culiaris est viris Apostolicis.
Ante paucos annos, cum fatali
quodam morbo mundus ad ar-
ma raperetur, Evangelici præ-
cones, hoc est, *Minores ac Prædi-
catores*, è suggestu sacro classicum
canebant, & ultrò ad furiam pro-
pensos magis accendebant. A-
pud Britannos animabant in
Gallos; apud Gallos animabant
in Britannos. Omnes ad bellum
instigabant. Ad pacem nemo
provocabat; præterunum aut
alterum, quibus penè capitale
fuit, me vel nominasse. Cur-
stabant ultro citroq; sacrosancti
Præsules, & dignitatis & pro-
fessionis suæ obliti publicum or-
bis

bis morbum operâ suâ exacer-
bantes, tum hinc *Julium*²⁶ Pontifi-
cem Romanum, hinc Reges ad
maturandum bellum instigantes;
perinde, quasi non satis ipsi sua
sponte insanirent.

Et tamen hanc manifesta-
riam insaniam magnificis titulis
præteximus. Hoc patrum leges;
hûc piorum hominum scripta;
hûc arcana scripturæ verba im-
pudentissimè detorquemus, ne
dicam impiè: imò jam eò propè
rediit res, ut stultum & impium
sit, adversus bellum hiscere, &
id laudare, quod solum ore Chri-
sti laudatum est. Parum consu-
lere populo, parum favere prin-
cipi videtur, qui suaserit rem o-
mnium saluberrimam, & ab o-
mnium pestilentissima dehortetur.

Jams

Jam ipsa castra sequuntur sa-
cifici; præ sunt in castris Episco-
pi; & relictiis Ecclesijs suis, Bel-
lonæ rem agunt: Imò gignit jam
bellum sacerdotes, gignit Episcopos,
gignit Cardinales, quibus Campi
legatus, honorificis titulis & A-
postolorum successoribus dignus
habetur: quò minus mirum, si
martem spirant, quos Mars ge-
nuic.

Et, quò malum sit insanabi-
lius, tantam impietatem pietatis
specie prætexunt: Vexilla cru-
cem habent: Miles impius, &
nummis ad lanienam ac eadem
conductus, crucis insigne præ-
fert, & belli symbolum est, quod
solum dedocere bellum poterat.
Quid tibi cum cruce scelerate,
miles? illis animis, istis factis,
Dracones, tigrides ac lupi con-
venie;

veniebant ! istud signum ejus est,
qui non pugnando sed morien-
do vicit; qui servavit non perdi-
dit; quodq; cū primis admo-
nerete poterat, cum quibus hosti-
bus tibi res sit, si modò Christia-
nus es, & quâ ratione vincen-
dum sit. *Tu salutis insigne gestas,
ad fratris perniciem properans, &
cruce perdis, qui cruce servatus
est?*

Quid? quod ab arcanis illis
& adorandis sacris; nam hæc
quoq; pertrahuntur in castra;
in quibus imprimis summa Chri-
stianorum concordia repræsen-
tentatur, curritur in aciem, di-
rum ferrum in fratris viscera
stringitur, & facinoris omnium
sceleratissimi; quò non aliud esse
potest impijs spiritibus gratus;
Christum faciunt spectatorem?
si

si tamen illic dignatur adesse.
Christus. deniq; quid est omniū
absurdissimum? *in utrisq; castris,*
in utraq; acie crucis signum relu-
cet, in utrisque sacra. quid hoc
monstri est? pugnat crux cum
cruce? Christus adversus Chri-
stum belligeratur? Hoc signum
Christiani nominis hostes terre-
re solet: cur nunc oppugnant,
quod adorant? homines non u-
na digni cruce, sed vera.

Quæso, quid in hisce sacris
orat miles? *Pater noster:* os du-
rum! audes eum appellare pa-
trem, qui fratris tui jugulum pe-
tis? *Sanctificetur nomen tuum:*
quī magis dehonestari poterat
nomen DEI, quàm istiusmodi
inter vos tumultibus? *Adveniat*
regnum tuum. Sic oras, qui tan-
to sanguine tyrannidem tuam

mo.

moliris? *Fiat voluntas tua, quem-*
admodum in caelo, ita & in terra;
pacem vult ille, & tu bella paras?
panem quotidianum à communi
patre petis, qui fraternas exuris
segetes, & tibi quoq; mavis pe-
rire, quam illi prodesse? Jam
quonam ore dices illud, & di-
mitte nobis debita nostra, sicut &
nos dimittimus debitoribus nostris,
qui ad parricidium festinas? De-
precaris periculum tentationis, qui
tuo periculo fratrem in pericu-
lum pertrahis? *A malo liberari*
postulas, cujus instinctu summum
malum fratri machinaris?

Plato negat appellandum
bellum, quod Græci moveant
adversus Græcos. Seditio est,
inquit. & istis sanctum etiam
bellum est, quod ob quaslibet
causas, tali milite, talibus armis,
cum

tum Christiano gerit Christianus? Ethnicorum leges culeo-
insutum in profluentem abjici-
unt, qui ferrum fraterno sangui-
ne imbuerit. an minus fratres
sunt, quos Christus copulavit,
quàm quos sanguinis propinqui-
ras? & tamen hîc præmium est
parricidio? O miseram bellan-
tium sortem! Qui vincit, parrici-
da est; qui vincitur, perit; ni-
hilò secius parricidio obnoxius,
quod parricidum conatus est.

Et post hæc execrantur *Tur-*
cas, velut impios, & à Christo
alienos. Quasi verò, cum hæc
agunt, ipsi Christiani sint? aut
quasi Turcis ullam spectaculum
exhiberi possit jucundius, quam
si conspiciant illos mutuis telis
fese confodientes? Immolant
Turcæ Dæmonibus; at, cum his
nulla

nulla victima sit acceptior, quam
si Christianus mactet Christianus
quæso, quid aliud facis quam illi?
tum enim gemina fruuntur hostiâ
Spiritus impij, cū pariter, & qui ma-
ctat & mactatur, sit victima. Si quis
Turcis favet, si quis amicus est
dæmonibus, hostias hujusmodi
frequenter offerat. ✕

Sed audio jamdudum, quid
excusent homines in suum ipso-
rum malum ingeniosi. *Cogi se*
queruntur, & invitos ad bellum
pertrahi. Detrahe personam
istam, abijce fucos, *tuum ipsius*
pectus consule: reperies iram,
ambitionem, stultitiam hūc per-
traxisse, non necessitatem. nisi
fortè hac fine necessitatem meti-
ris, si non per omnia satisfiat a-
nimo. Ad populum phaleras:
DEUS fucis non deluditur. Atq;
in.

interea solemnes aguntur suppli-
cationes; *magnis clamoribus peti-
tur pax*: vociferantur immani
boatu; *ut pacem nobis dones, te
rogamus, audi nos.* Nonnè Deus
jure optimo istis responderit,
quid meridetur? Rogatis ut de-
pellam, quod ipsi vobis accer-
sitis volentes. Deprecamini, cu-
jus ipsi vobis estis auctores.

Si quælibet offensa bellum
parit, cui tandem non est, quod
queratur? Inter uxorem & ma-
ritum incidunt, ad quæ sit con-
nivendum, nisi malis dirimi be-
nevolentiam. Quod si quid e-
jusmodi sit ortum inter princi-
pes, *quid opus erat mox ad arma
rapi?* Sunt leges; sunt homines
eruditi; sunt venerandi Abba-
tes; sunt reverendi Episcopi; quo-
rum salubri consilio tumultus re-

D rum

rum componi poterat. cur non
hos potius arbitros faciunt, quos
haud possint tam iniquos nanci-
fici, quin minori malo discessuri
sint, quam si armis experiantur?
» Vix ulla tam iniqua pax, quin
» bello vel æquissimo sit potior.
Prius expende singula, quæ bel-
lum vel postulat, vel adducit: &
quantum lucri feceris, intelliges.
Summa Romani pontificis auto-
ritas? at, cum gentes, cum prin-
cipes impijs bellis tumultuantur,
idq; annos aliquot, ubi tum pon-
tificum auctoritas, ubi potestas?
Hic certè erat expromenda: ni-
si ipsi similibus tenerentur cupi-
ditatibus. Vocat pontifex ad
bellum? paretur. Vocat idem
ad pacem? cur non obtempera-
tur itidem? Si pacem malunt,
cur Julio bellandi auctori tam ala-

crio

riter obeditum est? *Leoni*, ad pacem & concordiam provocanti, vix quisquam obtemperat? Si verò sacrosancta est Romani Pontificis auctoritas, certè maxime valere par est, quoties ad id provocat; quod unicè docuit Christus. cæterum, quos *Julius* ad bellum exitiale potuit excitare, cum *Leo* sanctissimus pontifex, non idem possit, tot modis ad Christianam concordiam provocans; declarant, sese, Ecclesiæ prætextu, suis servisse cupiditatibus, ne quid dicam acerbius.

Si ex animo tædet bellorum, dabo consilium quo concordiam tueri possitis. Solida pax haud constat affinitatibus, haud foederibus hominum, ex quibus frequenter exoriri bella videmus. Repurgandi fontes ipsi, unde

D 2 ma-

malum hoc scatet: prava cupiditates tumultus istos pariunt: & dum quisque suis inservit affectibus, interim affligitur Respublica; nec tamen assequitur hoc ipsum quisque, quod malis rationibus affectat. Sapiant principes, & populo sapiant, non sibi; ac verè sapiant, ut majestatem suam, ut felicitatem, ut opes, ut splendorem; his rebus metiantur, quae verè magnos & excellentes faciunt. Sint eo animo erga rempub. quo pater erga familiam. Ita se magnum existimet Rex, si quàm optimis imperet; ita felicem, si suos felices reddiderit; ita sublimem, si quàm maximè liberis imperet; ita opulentum, si populum habeat opulentum: ita florentem, si civitates perpetuâ pace florentes habeat. Atq; hunc Principi
ani.

animum imitentur proceres ac Ma-
gistratus: omnia Reipub. com-
modis metiantur.

Et hac via rectius suis consu-
luerint commodis. Rex qui hoc sit
animo, num is facile commove-
bitur, ut pecuniam à suis extor-
queat, quam barbaro militi nu-
meret? suos ad famem, ut impios
aliquot duces ditet, adiget? num
is suorum vitam tot periculis ob-
jiciet? non opinor. Hactenus
~~exerceat imperium, ut meminerit~~
~~imperare hominibus, liberum libe-~~
ris, postremò Christianum Chri-
stianis. Huic vicissim tantum de-
ferat populus, quatenus ad publi-
cam utilitatem conducit. Non a-
liud exigit bonus princeps: mali
verò cupiditates rerundet civiū
consensus. Absit utriusq; priva-
ti commodi ratio: plurimum ho-

D 3

no.

noris habeatur ijs, qui bellum ex-
cluserint, qui concordiam resti-
tuerint ingenio consiliove suo:
deniq; qui hoc modis omnibus
moliatur, non ut maximam mi-
litum ac machinarum vim com-
paret, sed ut his non sit opus.
Quod pulcherrimum facinus,
tot imperatorum unus *Diocle-*
tianus animo concepisse legitur.

Quod si bellum vitari non
pötest, ita geratur, ut summa ma-
lorum in eorum capita recidat, qui
belli dedere causas. Nunc Princi-
pes tuti belligerantur: ductores
hinc crescunt: maxima malorum
pars in agricolas, ac plebem ef-
funditur, ad quos nec attinet
bellum, nec ipsi belli causam ul-
lam dederunt. Ubi principis sa-
pientia, si hæc non perpendit,
ubi

ubi principis animus, si hæc levi-
ter ducit?

Invenienda ratio, qua fiat,
ne toties mutantur, ac velut ob-
ambulent imperia; quod omnis
rerum novatio tumultum gignat,
tumultus bellum. Id facile fiet,
si regum liberi intra ditionis fines
elocentur; aut si quem libeat fi-
nitimis adjungere, spes omnia
successionis præcisa esto. *Nec*
fas sit principi ditionis portionem
ullam vendere aut alienare: perin-
de quasi privata sint prædia, li-
beræ civitates. Nam liberi sunt,
quibus Rex imperat: serviunt, quos
Tyrannus premit. x.

Nunc hujusmodi matrimo-
niorum vicibus fit, ut apud Hy-
bernos natus, repente imperet
Indis; aut, qui modò Syris im-

D 4

pera.

perabat, subitò rex sit Britanniae;
fitq; , ut neutra regia principem
habeat, dum priorem relinquit,
& à posteriore non agnoscitur;
nimirum ignotus, alioq; mundo
natus. Atq; interim, dum illud
parit, dum evincit, dum stabilit;
alterum exhaurit, proteritq; ;
nonnunquam admittit utrunque
dum utrunque complecti studet,
vix alteri administrando ido-
neus.

*Semel inter Principes conve-
niat, quid quisq; debeat administra-
re; ac ditionis fines semel datos,
nulla proferat aut contrahat affini-
tas, nulla convellant foedera.
Ita suam quisq; portionem enite-
tur, quam potest, ornatissimam
reddere, dum in unam omne stu-
dium intendet; hanc conabitur
rebus optimis locupletatam suis libe-*

culorum consensu probatis; *Frons*
occipitio prior est.

Locupletatum se existimet
non si quid alijs ademerit, sed
si sua reddiderit meliora.

Cum *de bello* agitur, *ne adhi-*
beat in Consilium juvenes; quibus
ideò bellum placet, quod exper-
ti non sunt, quantum habeat
malorum; *neve eos,* quibus ex-
pediturbari publicam tranquil-
litatem, *qui q̄ populi calamitatibus*
// aluntur, ac saginantur. Senes
// cordatos ac integros accersat,
// & quorum pietas patriæ specta-
// ta sit. Nec temerè ad unius aut
alterius libidinem bellum mo-
veatur, quod semel ceptum haud
facile finitur. Res omnium peri-
culosissima, non nisi totius po-
puli consensu suscipiatur.

Bel.

Belli causæ statim præciden-
dæ sunt: ad quædam conniven-
dum: comitas comitatem invi-
tabit: nonnunquam emenda-
pax. Ea, si ratione subduxeris,
quid bellum fuerit exhausturum,
& quot cives ab exitio serves,
parvo emta videbitur, etiamsi
magno emeris: quando præter
civium tuorum sanguinem, plus
erat bello impendendum, in eas
rationem, quantum malorum
vitaris, quantum bonorum tuea-
ris: & impendij non poenite-
bit.

*Fungantur interim suo officio
Præsules. Sacerdotes verè sint
sacerdotes. Monachi professio-
nis suæ meminerint. Theologi,
quod Christo dignum est, doce-
ant. Conspirent omnes adversus
bellum, in hoc latrent omnes: Pa-*

D 6 cem

cem publicè privatimque prædicent, efferant, inculcent. Tum, si minus possint efficere, ne ferro decernatur: certè ne probent; ne intersint; ne rei, vel tam sceleratæ, vel certè tam suspectæ, ipsis auctoribus honos habeatur. Satis sit, in bello cæsis inprophano sepulchrum dari. Si qui boni sunt in hoc genere, qui certè paucissimi sunt, non ob hæc fraudabuntur suo præmio: cæterum impij, quæ maxima turba est, minus sibi placebunt, honore detracto.

De his bellis loquor, quæ vulgò Christiani cum Christianis committunt. Nec enim idem sentio de his, qui simplici pioque studio vim incurfantium barbarorum depellunt, & suo periculo publicam tranquillitatem tuentur.

Nunc

Nunc trophaea sanguine tincta eorum, pro quorum salute Christus suum fudit sanguinem, reponuntur in templis, inter Apostolorum ac martyrum statuas; quasi posthac pius sit futurum, non fieri martyres, sed facere? Abundè magnum erat, hæc in foro, aut armario quopiam reposita servari: in sacras ædes, quas purissimas esse decet, nihil recipi convenit, quod sanguine sit inquinatum. Sacerdotes, D E O sacri, nusquam adsint, nisi ad dirimenda bella. In hæc si consentiant, plurimum habitura momenti est eorum auctoritas.

Quod si hic fatalis est humani ingenij morbus, ut prorsus absq; bellis durare nequeat; quin potius malum hoc in Turcas effunditur; tamen si præstabat, & hos

D 7

do;

doctrina, benefactis, vitaque
innocentiâ, ad Christi religio-
nem allicere, quàm armis adori-
ri. Attamen si bellum, ut dixi-
mus, omninò vetari non potest;
illud certè levius sit malum, quàm
sic impiè Christianos inter se
committi, collidiq;. Si mutua
charitas illos non adglutinat, cer-
tè conjunget utcunq; communis
hostis: & qualiscunq; Syncre-
rismus erit, ut absit vera concor-
dia.

Postremò *magna pars Pacis
est, ex animo velle pacem.* Quibus
enim pax verè cordi est, hi o-
mnes pacis occasiones arripiunt:
quæ obstant, aut negligunt, aut
amoluntur: permulta ferunt,
dum tantum bonum sit incolu-
me. Nunc ipsi bellorum semina-
ria quærunt; quod ad concor-
diam

diam facit, elevant, aut dissimulant etiam: quod ad bellum tendit, ultrò exaggerant, exulcerantq;.

Pudet referre, ex cujusmodi nugis, quantas excitent tragedias! & ex quàm minuta scintillula que rerum tempestates exoriantur! Tunc illud injuriarum agmen venit in mentem, & suum quisq; malum sibi exaggerat. At benefactorum interim profunda oblivio, ut jures affectari bellum. Et sæpè *Principum privatum quiddam est, quod orbem ad armâ compellit*: at plus quàm publicum esse debet, ob quod bellum suscipiatur.

Quin, ubi nihil subest causa, ipsi dissidiorum causas sibi fingunt: regionum vocabulis ad odiorum alimoniam abutentes. & hunc stultæ
ple.

plebis errorem alunt magnates,
& in suum abutuntur compen-
dium: alunt Sacerdotes quidam.
Anglus hostis est Gallo: nec ob
aliud, nisi quod Gallus est. Scoto
Britannus infensus est, nec aliam
ob rem, nisi quod Scotus est.
Germanus cum Franco dissidet,
Hispanus cum utroq;. O pravi-
tatem! disjungit inane loci voca-
bulum: cur non potius tot res
conciliant? Malè vis Britannus
Gallo? cur non potius benè vis
homo homini? Christianus Chri-
stiano? cur res frivola plus apud
istos potest, quàm tot naturæ ne-
xus? tot Christi vincula? Locus:
corpora dirimit, non animos.
Separabat olim Rhenus Gallum
à Germano: at Rhenus non se-
parat Christianum à Christiano:
Pyrenæi montes Hispanos ab
Ita-

Italis sejungunt; at ñdem non di-
rimunt Ecclesiæ communionem.
Mare dirimit Anglos à Gallis; at
non dirimit religionis societa-
tem. *Paulus Apostolus* indigna-
tur audiri inter Christianos has
voces, Ego sum Apollo; ego
sum Cephæ; ego sum Pauli; nec
impia cognomina sinit secare,
Christum omnia reconcilian-
tem; & nos commune Patriæ
vocabulum gravem causam judi-
camus, cur gens in gentis inter-
necionem tendat? Ne id quidem
satis nonnullorum animis, bel-
lorum avidis: pravè dataq; ope-
ra dissidiorum ansas quærunt:
ipsam dividunt Galliam, & ea
vocalibus distrahunt, quæ nec
maria, nec montes, nec vera
regionum nomina distrahunt.
E Gallis Germanos faciunt, ne
vel

vel nominis consortio coalescat
amicitia.

Si in actionibus odiosis, ve-
lut divortij, nec litem facile reci-
pit iudex, nec quamlibet admit-
tit probationem: cur isti in re
omnium odiosissima quamlibet
frivolam causam admittunt? quin
potius id, quod res est, cogitant:
mundum hunc communem esse pa-
triam omnium, si patriæ titulus
conciliat: ab iisdem maioribus
ortos omnes; si facit amicos san-
guinis affinitas: Ecclesiam unam
esse familiam, ex æquo commu-
nem omnibus; si domus eadem
copulat necessitudines. In hanc
partem ingeniosos esse, par est.
Toleras quædam in focero, non
ob aliud, nisi quod focer est: &
nihil toleras in eo, qui religionis
consortio frater est: multa con-
do-

donas generis propinquitati: &
nihil condonas affinitati religio-
nis? *certè nullum vinculum ar-* ce
ctius alligat, quàm Christi sodali- ce
tas. Cur id solum ob oculos ob-
versatur, quod animum exulce-
rat? Si paci faves, sic cogita,
potius: in hoc læsit; sed sæpè
aliàs profuit; aut alieno impul-
su læsit. postremò, quemadmo-
dum apud Homerum dissidiij
causas, quod inter Agamemno-
nem & Achillem intercesserat,
in Aten Deam reijciunt, qui vo-
cant ad concordiam; *ita, que*
excusari non possunt, aliquando
fatis imputentur, aut malo cuiquam,
si libet genio; & in hæc odium
ab ipsis hominibus transfera-
tur.

Cur magis ad perniciem
suam sapiunt, quàm ad tuendam
feli.

felicitatem? Cur ad malum quàm
ad bonum sunt oculatiores? Qui
paulò cordatiores sunt, expen-
dunt, considerāt, circumspiciunt,
priusquam privatam quoq; ne-
gotiam aggrediantur: & clausis
oculis præcipites in bellum ipsi
sele conñciunt? præsertim cum
semel admissam excludi non
possit: quin è puñillo fit maxi-
mum, ex uno plura, ex inctuen-
to cruentum: maximè, cum
hæc procella, non unum aut al-
terum affligat, sed universos pa-
riter involuat.

Quod si vulgus hæc parum
expendit: certè *Principis* &
Optimatum partes sunt, hæc se-
cum reputare: *Sacerdotum* est, illa
rationibus omnibus infulcire;
volentibus ac nolentibus inge-
rere;

rere: herebunt tandem, si nusquam non audiantur.

At *bellum gestis?* Primum, *inspice*, cujusmodi res sit *pax*; cujusmodi *bellum*: *quid* illa *bonorum*, quid hoc *malorum* *secum* *vehat*, atque ita *rationem* *ineas*, num *expediat* *pacem* *bello* *permutare*. Si *res* *quædam* *admirabilis* *est*, *regnum* *undique* *rebus* *optimis* *florens*, *benè* *conditis* *urbibus*, *benè* *cultis* *agris*, *optimis* *legibus*, *honestissimis* *disciplinis*, *sanctissimis* *moribus*: *cogita* *tecum*: *hec* *felicitas* *mibi* *perturbanda* *est*, *si* *bello*. *Contra*, si *quando* *conspexisti* *ruinas* *urbium*, *dirutos* *vicos*, *exustaphana*, *desolatos* *agros*: & *id* *spectaculum* *miserandum*, *ut* *est*, *visum* *est*: *cogita* *hunc* *esse* *belli* *fructum*. Si *grave* *judicas*
sce-

sceleratam conductitiorum mili-
tum colluuiem in tuam regio-
nem inducere: hos civium
tuorum malo alere; his infer-
vire, his blandiri, imò horum
arbitrio reipsum, ac tuam colu-
mitatem committere: fac co-
gites, *hanc esse belli conditionem,*
si abominaris atrocinia; hæc do-
cet bellum: si execraris parrici-
dium; hoc in bello discitur. Nam,
quî vereatur unum occidere
commorus, qui levi autoramen-
to conductus tot homines jugu-
lat? si præsentissima Reipub.
pestis est legum neglectus; si-
lent leges inter arma: si foedum
exiitimas stuprum, incestum,
& his turpiora; horum o-
mnium bellum magister est: si
fons omnium malorum est im-
pietas, & religionis neglectus;
hæc

hæc belli procellis protus obruitur.

Si iudicas pessimum esse Reipub. statum, cum plurimum possunt, qui pessimi sunt, *in bello regnant sceleratissimi: & quos in pace suffigas in crucem, horum in bellis primaria est opera.* Quis enim melius per devia ducet copias, quàm latro exercitatus? quis fortius diripiet ædes, aut spoliabit templa, quàm parietum perfossor, aut sacrilegus? quis animosius feriet hostem, & hauriret ferro vitalia, quàm gladiator, aut parricida? quis æquè idoneus ad iniñciendam ignem urbibus, aut machinis, quàm incendiarius? quis æquè contemnet fluctus, marisque discrimina, ac piraræ diutinis prædationi;

nibus exercitus? *Vis palàm cer-
nere, quàm res sit impia bellum,
animadvertete per quos geritur.*

*Si pio Principi nihil antiquius
esse debet, quàm suorum incolu-
mitas; huic bellum imprimis in-
visum sit, oportet. Si princi-
pis felicitas est, imperare filia-
bus; pacem potissimum ample-
cti debet. Si præcipuè optan-
dum bono Principi, ut imperet
quàm optimis; bellum deteste-
tur oportet, unde scater omnis
impieratis sentina. Si suas opes
esse putet, quicquid cives possi-
dent; bellum omnibus rationi-
bus vitet: quod; ut felicissimè
cadat, certè facultates omnium
atterit, & quod honestis artibus
partum est, in immanes quos-
dam carnifices erogandum.*

Jam

Jam illud etiam atq; etiam
perpendant: *Suam cuiq; blandi-
ri causam, & suam cuiq; spem*
arridere, cum illa *sepe numero pes-
sima sit, qua commoto videatur a-
quisima*: & hæc non raro fallit.
Sed finge causam justissimam:
finge exitum belli prosperrimum:
*rationem fac in eas omnium incom-
modorum, quibus gestum est bel-
lum, & commoditatum quas pe-
perit victoria; & vide, num tan-
ti fuerit vincere. Vix unquam*
victoria contigit incruenta. Ad-
hæc supputa morum, publicæq;
disciplinæ jacturam, nullo com-
pendio sarcendam: exhauris-
tum fiscum: expilas populum;
oneras bonos: ad facinus exci-
tas improbos: neq; verò con-
fecto bello, protinus & belli re-
E liquiæ

liquiæ sopitæ sunt: obsolescunt
artes; includuntur negotiato-
rum commercia. *Ut hostem
includas, prius temet ipsum à tot
regionibus cogaris excludere.* An-
te bellum omnes finitimæ regio-
nes tuæ erant: pax enim rerum
commercijs facit omnia commu-
nia: vide! quantam rem ege-
ris: nunc vix tua est, quæ ma-
ximè tua est ditio. Ut oppidu-
lum excindas: quot machinis,
quot tentorijs opus est? imita-
tiam urbem facias oportet, ut
veram evertas: at minoris aliud
verum oppidum extrui poterat.
Ne liceat hosti prodire ex oppi-
do; tu exul à patria sub dio dor-
mis. Minoris constaturum erat,
ædificare nova mænia, quam
ædificata machinis demoliri. Ut

ag

ne computem h'c: quot pecu-
niarum effluit inter exigentium,
recipientium ac Ducum digitos?
quæ sanè pars est non minima.
Quod si horum singula ad ve-
rum calculum revoces; nî com-
pereris, decimâ impendiorum
parte pacem redimi potuisse; pa-
tiar æquo animo me profligari
undiq;.

*Sed parum excelsi animi, tibi
videare, si quid remittas injuria-
rum? Imò nullum est certius ar-
gumentum humilis animi minimeq;
regij, quàm ulcisci. Majestati
tuæ nonnihil decedere putas, si
cum finitimo Principe agens, &
fortasse cognato, aut affini, for-
tassis aliàs benè de te merito, de
suo jure decedas aliquantulum?*

E 2

at

at quantò humilior deiecis Maje-
statem tuam, dum barbaris co-
hortibus, & infimæ scelerato-
rum feci, nunquam explendæ,
auro subinde litare cogere? dum
ad Cares vilissimos, simul ac no-
centissimos blandus ac supplex
mittis legatos? dum tuum ipsius
caput, dum tuorum fortunas il-
lorum credis fidei, quibus nihil
est, neque pensi neque sancti?
Quod si quid iniquitatis videbi-
tur habere pax: cave sic cogites;
hoc perdo: sed, tanti pacem
emo.

At, dixerit argutior aliquis;
*facile donarim, si res ad me priva-
tim pertineat. Princeps sum:
negotium publicum, velim nolim,
ago. Non facile bellum susci-
piet,*

piet, qui nihil nisi publicum
spectat. Atqui contra videmus
omneis belli causas ex his rebus na-
sci, quæ nihil ad populum perti-
neant. Vis hanc aut illam di-
tionis partem vindicare? quid
istud apud populi negotium?
vis ulcisci, qui filia renuntiavit?
quid hoc ad rempublicam? Hac
expendere, hæc perspicere, verè
sapientis, verèq; magni est Princi-
pis. Quis unquam aut latius
imperavit, aut splendidius Octa-
vio Augusto? at is cupiebat etiam
deponere imperium, si quem vi-
disset Reipub. magis salutarem
Principem. Meritò laudata est
ab egregijs auctoribus vox illa,
cujusdam Imperatoris: *Pereant,*
inquit, filij mei, si quis alius me-
lius sit reipub. consulturus. Hos

animos Reipublicæ præstiterunt
homines impij, quod ad Christi
religionem attinet: & Christia-
ni principes usq; adeò vilem
ducunt populum Christianum,
ut gravissimo orbis incendio pri-
vatas suas cupiditates, vel ulcisci
velint, vel explere?

Jam audio quosdam ita ter-
giversantes, ut *negent se tutos esse
posse, nisi vim improborum acriter
propellant.* Cur igitur inter in-
numeros Imperatores Romanos
soli Antonini Pius & Philoso-
phus petiti non sunt? nisi quod
nemo tutius regnat, quàm qui
paratus est & deponere, ut-
pote, quod Reipub. gerat, non
sibi.

Quod si nihil vos movet,
neq; naturæ sensus, neq; pietatis
respe.

respectus, neq; tanta calamitas?
certè *Christiani nominis probrum*
animos vestros in concordiam redi-
gat. Quota mundi portio tene-
tur à Christianis? Atq; hæc ta-
men est illa civitas in edito mon-
te sita, spectaculum facta Deo &
hominibus. At quid sentire
putandum est, quid loqui, quæ
probra in Christum evomere,
Christiani nominis hostes? ubi
vident Christianos sic inter sese
concertare, levioribus de causis,
quàm Ethnici, crudelius quàm
impis, machinis tetrioribus quàm
ipsi? Quorum invenum est
Bombarda? nonnè Christiano-
rum? Et quò res sit indignior,
his induntur Apostolorum no-
mina, insculpuntur imagines. O
crudelis irrisio! Paulus ille, pacis

F 4

hor.

hortator perpetuus, tartaream
machinam torquet in Christia-
num?

Si cupimus Turcas ad Chri-
sti religionem adducere; prius
ipsi simus Christiani. nunquam
hoc illi credent, si, quod est, per-
spiciant, nusquam magis scire,
quàm apud Christianos id, quod
Christus unum omnium maxi-
mè detestatus est: & quod Ho-
mericus Ethnicus demiratur in
Ethnicis, cum suavium etiam
teram satietas sit, somni, cibi, po-
tus, choræ, musices; belli infe-
licis nullam esse satietatem? Id
apud eos verissimum est, quibus
ipsum etiam belli vocabulum
abominandum esse oportuit.
Roma, furiosa quondam illa bel-
latrix, tamen Jani sui templum
ali-

aliquoties vidit clausum: & qui
convenit apud vos nullas esse
bellandi ferias? quonam ore
prædicabitis eis Christum pa-
cis autorem, ipsi perpetuis dis-
sidijs inter vos tumultuantes?

Jam, quos putatis *animos ad-*
dit Turcis vestra discordia? nihil
enim facilius, quam vincere dis-
sidentes. *Vultis illis esse formida-*
biles? Concordes estote.

Cur verò *ultrò vobis, & præ-*
sentis vitæ jucunditatem invide-
ris? & à futura felicitate vultis
excidere? Multis malis per se
obnoxia est vita mortalium; *si*
magnam molestia partem adimet
concordia, dum mutuis officijs,
alius alium, aut consolatur, auc-

E 5 juvat.

juvat. Si quid boni obtinget:
id tùm suavius, tùm communius
reddet concordia, dum amicus
impertit amico, & benevolus be-
nevolò gratulatur.

Quàm *frivola sunt*, quamq̃;
mox peritura, pro quibus inter
vos *tumultus est*? mors omni-
bus imminet, non minus regibus,
quam plebeijs. Quos tumultus
ciet animalculum, mox fumi in-
morem evaniturum? *In foribus*
adest aternitas. Quorsum attri-
net, pro rebus istis umbraticis
perinde moliri; quasi vita hæc
esset immortalis? O miseros!
qui felicem illam piorum vitam
non credunt aut non sperant!
impudentes, qui sibi pollicentur,
è bellis ad eam iter esse! cum
illa

illa nihil sit aliud, quàm ineffabilis quædam feliciam animorum communio, cum jam ad plenum contingeret, quod Christus tam enixè rogaverat Patrem cælestem, ut sic inter se jungerentur illi, quemadmodum Patri ipse junctus esset. Ad hanc summam concordiam qui possitis esse idonei, nisi eam interim pro virili meditemini? ut non subito ex spurco helluone fit angelus: ita non subito ex bellatore sanguinario martyrum ac divorum socius.

Eja! satis jam superq; fufum est Christiani, si parum est humani, sanguinis! satis in mutua debacchatum exitia! satis hætenus, furijs orcoq; litatum!

E 6 satis

satis diu, quæ Turcarum pascât
oculos, acta est fabula! *Saltem
aliquando post nimium diu tolera-
tas bellorum miseras respiscite.*
Quicquid hætenus insanitum
est, satis imputetur: placeat
Christianis, quæ quondam pro-
phanis placuit, *superiorum ma-
lorum oblivio.* Posthac com-
munibus consilijs in pacis stu-
dium incumbite. Et sic incum-
bite, ut non stupeis sed solidis
atq; adamantinis vinculis coeat,
nunquam dirumpenda.

Vos appello Principes, de
quorum nutu potissimum pen-
dent res mortalium; qui Christi
Principis imaginem inter mor-
tales geritis; agnoscite Regis
vestri vocem, ad pacem vocan-
tis;

tis: existimate, totum orbem,
diutinis fessum bellis, hoc à vo-
bis flagitare! Si quid cui dolet,
etiam, æquum est hoc publi-
cæ omnium felicitati donare.
Majus est negotium, quàm ut
levibus causis debeat retardari.
Appello vos, sacerdotes DEO
sacri, hoc studijs omnibus ex-
primitè, quod DEO gratissi-
mum esse scitis! hoc depellite
quod illi maxime invisum!
Appello vos *Theologi*, pacis
Evangelium prædicatè, hanc
semper popularibus auribus oc-
cinite. Appello vos *Episcopi*,
alijsque dignitate Ecclesiastica
præminentes, ad pacem æter-
nis vinculis astringendam ve-
stra valeat autoritas. Appello
vos *Primates*, & *Magistratus*, ut

sapientia regum, ut pietati Pon-
tificum vestra voluntas sit adju-
erix. Vos appello promiscuè,
quicumq; Christiano nomine cen-
semi consentientibus animis in
hoc conspirate! Hic ostendite,
quantum valeat adversus poten-
tum Tyrannidem multitudinis
concordia. Huc pariter omnes
omnia sua conferant. *Jungat*
eterna concordia, quos tam multis
rebus conjunxit natura, pluribus
Christus. Communibus studiis
agant omnes quod ad omnium
ex æquo felicitatem pertinet.
i Huc invitant omnia, primum ipse
naturæ sensus, atque ipsa, ut ita
dicam, humanitas. deinde to-
tius humanæ felicitatis princeps
¶ & autor Christus; adhuc tam
multa pacis commoda, tot belli
cala-

calamitates. Vocant huc ipsi 7
Principum animi, jam velut af-
fante DEO, ad concordiam
propensi. En pacificus ille pla- 5
cidusq; N. signum omnibus ex-
tulit, ad pacem invitans! si verè
oves estis, sequimini pastorem!
si filij, audite patrem! Vocat 6
ille non titulo tantum Christia-
nissimus Galliarum Rex N. qui
pacem nec emere gravatur, nec
usquam suæ majestatis habet ra-
tionem, publicæ modo paci con-
sultatur: hoc denique *verè splendi-
dum ac regium esse docens, de gene-
re humano quàm opimè mereri.*
Vocat huc Clarissimus Princeps 7
CAROLUS incorruptæ indo-
lis adolescens. Nec abhorret 8
Cæsar MAXIMILIANUS:
nec detractat inclytus Angliæ 9
Rex

Rex HENRICUS: tantorum
Principum exemplum ceteros
10 libenter imitari, par est. Maxi-
ma plebis pars, bellum detesta-
tur, pacem orat. Pauculi qui-
dam modò, quorum impia feli-
citas à publica pendet infelici-
tate, bellum optant. Quorum
improbitas, ut plus valeat, quàm
bonorum omnium voluntas, æ-
quum sit, nec ne, vos ipsi expen-
dite. Videtis hæctenus, nihil
actum foederibus, nihil promo-
tum affinitatibus, nihil vi, nihil
ulciscendo. Nunc contra peri-
culum facite, quid possit placa-
bilitas, quid beneficentia. Bel-
lum è bello feritur, ultio trahit
77 ultionem. Nunc gratia gra-
77 tiam pariat, & beneficium bene-
ficio invitetur, isquè regaliior vi-
dea.

deatur, qui plus de suo jure con-
cesserit. Non successit, quod
humanis studijs gestum est; ac
fortunabit ipse Christus pia con-
silia, quæ se autore & auspice
viderit suscipi. Aderit dexter,
aspirabit, favebitq; faventibus
ipsi rei, cui favit ipse plurimum.
*Privatos affectus, publica vincat
utilitas.* Quanquam dum huic
consulitur, & sua cuiq; fortuna
melior reddetur: *Principibus* re-
gnum erit augustius, si pijs ac fe-
licibus imperent, ut legibus re-
gnent magis, quàm armis. *proceri-
bus* major veriorq; dignitas: *sacerdotibus*
otium tranquillius: *populo* quies
uberior, & ubertas
quieter: *nomen Christianum* for-
midabilius crucis hostibus: de-
nique

rique *singuli singulis*, & omnes
omnibus chari simul & jucundi
eritis: super omnia *Christogra.*
si: cui placuisse summa
felicitas est.

D I X I.



Quia pagella quaedam vacabant, visum fuit sequentia adjicere.

Franciscus Petrarca
Dial. 74.

DOLOR. Bello quatimur civili. **RATIO.** Nomen hoc à civibus tractum; Et tu unus es civium; vide ergo, ne Et tu unus sis huic malo fomenta præbentium, Et virili parte culpa non carens. Hic enim est mos: alter alterum inflammat, donec singuli furorem publicum exciverint: tum demum furor publicus singulos urget, ac præcipitat. nec unquam publicum malum

lum à se incipiet, quamvis ac-
cessione auctum totam infee-
rit, siue etiam euerterit civi-
tatem: si primam tamen
queris originem, singulorum
in erroribus radicatum est.
hoc est autem, quod caven-
dum moneo: ne tu quoque
unus fueris ex his, qui
vel materia, vel flatu ci-
vile incendium aluerint.
Multi enim faciunt, unde
mox querantur & quasi ab
altero inflictum vulnus suis
manibus factum lugent. Mul-
ti jam suo incendio pe-
riere. Quod si tibi nihil es

con-

consciis, pius est dolor boni
civis in calamitate publica:
sed quem soletur innocentia.
Humanis enim malis nullum
flebilis culpa est, imo qui-
dem, ut quibusdam maximis
viris placet, nullum aliud est
malum. D. civili vexamur
bello. R. in furore civium
te sequestrum pacis ex-
hibe: si id frustra est, at tu
saltem pro libertate, vel solus
pro justitia partes fac: quod
etsi patriæ fortassis inutile; at
tibi certè laudabile. Utriusque
rei exemplum una tibi urbs
dabit, Menenium Agrip-
pam,

pam, & Portium Catonem
hunc novissimum. D. Implacabile civibus bellum est. R. si nihil opis in te est, ambrosios, increpa, deprecare, obsta, castiga, obsecra, ingere, quibus potes, publicam ruinam, quae privatas in se continet, & quum nullius propria videatur, est omnium: denique hinc pietate, hinc terroribus animos placa. Si nil apud homines proficis, Deum ora. Opta civium resipiscentiam, & salutem patriae, modisque omnibus boni civis officium imple.



Bacchylides in
Ρεανibus.

Τικτῆ δέτε θναύϊσαν εἰρήνη με-
γάλα,
Πλοῦτον, κῆ μελιγλώσων ἀιδῶν
ἀνθεα,
Δαιδαλέων τ' ὀπί βωμῶν θεοῖσι πί-
θεντη βοῶν
Ξαυθᾶ φλογὶ μερίδες, ὕτρίχων τε
μήλων,
Γυμνασίων τε νέοις αὐλῶν τε κῆ κῶ-
μων μέλει.






ROSTOCHI
Typis Joachimi Ped
ANNO


M. DC. XXII.





















Finne



